

bus nostris consuetudini conformare non libuisset: plane ab incertis hisce rebus abstinuissem. Ceteras quoque hypotheses, quae psychologiae rationali passim insertae sunt, ab ipso veritatum indubiarum nexu remouissem: nisi aliorum, qui hypotheses cum certis veritatibus coniunctim illic tradunt, auctoritas obstitisset. Dandum igitur aliquid esse consuetudini consultius duxi, quam eos offendere, in quorum gratiam haec scribuntur potissimum. Sic ergo prodit in tuum conspectum, L. B., systema dogmatum metaphysicorum fatis, ut arbitror, pro meo scopo completum et adaequatum: a partium quoque et sectae studio alienum, quod illis quidem, qui non auctoritate, sed ratione ducuntur, displicere non poterit. Quae quidem sunt, quae de instituto meo monenda censui: nihil igitur superest, quam ut operarum errores humanitati lectoris commendem emendanda. Aliquos annotavi sub calcem libri: sed plures fortasse effugerunt perfunctoriam systematis lectionem, quae in vitiorum typographicorum gratiam fuit instituta. Vale B. L. atque porro faue nostris conatibus.

CON-